

judicabat beatitudinem supernaturalem dari ex beneficio gratuito, et communiter tam Angelo quam homini, et hoc verum erat, judicabat quoque suam excellentiam naturalem, licet longe inferiorem, esse tamen sibi peculiarem, nec ex gratia speciali, sed jure creationis sibi dari. Errabat autem practice, quia singularitatis avidus, et impatiens dependentiæ ab aliena gratia, et nolens quidquam precario habere, anteposuit inferiorem excellentiam ut propriam, et non ex gratia speciali, excellentiæ superiori, ut ex gratia dandæ. Et in hoc tantum erravit practice, quantum superbiuit.

XLI. Unde ad rationes in contrarium manifeste patet solutio.

Ad primam dicitur, verum esse quod non peccavit Angelus in appetitu naturalis excellentiæ, nisi cum ordine ad supernaturalem, nolens hanc admittere cum tanta subordinatione ad gratiam. Nec erravit speculative circa ipsam, ut ostensum est, quia indicavit vere, quod solum ex gratia sibi dabatur, sed noluit sic habere. Erravit autem practice recusando illam non ex pusillanimitate aut pigritia, quasi gravem,

aut molestam sibi, sed ex superbia, quia videbat illam ut gratuito beneficio dandam, et communicandam aliis, quod in sua naturali excellentia non dabatur; et ideo licet inferior esset, magis illa delectabatur.

Ad secundam dicitur, quod licet Angelus vere descendit relinquendo superiora bona, et ut Augustinus supra citatus dicit defluxit ad propria, tamen in sua apprehensione ascendebat, et magna negotiatione, conabatur aliis ostendere, et satisfacere, se in hoc magis Dei similitudinem intendere, quia minus dependenter ab ejus gratia, minusque precario, et magis singulariter, et non communicando cum inferioribus procedebat; et sic debere omnes hoc solum procurare, ut in sua naturali excellentia manerent recusando supernaturalem. Unde in hoc non erat formaliter peccatum omissionis, sed superbiæ, quia non solum frangebat præceptum affirmativum convertendi se supernaturaliter in Deum, sed positive appetebat nihil habere ex gratia speciali, nec commune cum aliis, etiamsi entitative esset melius, quod est peccatum commissionis superbiæ.

QUÆSTIO LXIV.

DE PŒNA DÆMONUM.

SUMMA LITTERÆ.

Quatuor pœnas dæmonum per quatuor articulos explicat D. Thomas. Prima est, obtenebratio in intellectu. Secunda, obstinatio in voluntate. Tertia, dolor de malo pœnæ sibi inflictæ. Quarta, locus pœnalis in quo patiuntur.

Circa primum ostendit in primo articulo quod intellectus speculativus dæmonum non est obtenebratus, quia quantum ad naturalem cognitionem nihil in eis diminutum est, quantum vero ad supernaturalem de mysteriis fidei, non est totaliter ablata ab eis speculativa cognitio, sed diminuta: accipiunt enim eam cognitionem de istis quæ oportet. At vero affectiva cognitio, quæ ad amorem ducit honestum, totaliter in eis extincta est.

In secundo articulo ostendit voluntatem dæmonum esse obstinatam in malo, ita quod non possit reverti ad bonum, quod non est ex gravitate culpæ, sed ex conditione status, quia sunt extra statum viæ Angeli post casum, sicut homines post mortem. Conveniens autem fuit Angelos in suo casu terminare viam, quia ex sua natura immobiliter apprehendunt, quando perfecte se determinant, quia sine discursu agunt. Unde postquam perfecte se determinarunt circa objectum viæ, non est quod amplius durarent in ea.

In tertio articulo ostendit esse in dæmonibus dolorem, non secundum quod dolor est passio sensibilis, sed ut dicit renitentiam voluntatis ad ea quæ sibi sunt contraria, sicut quod recludantur in igne, et ab eo detineantur, et impediuntur, etc.

In quarto articulo ostendit quod locus pœnalis, qui debetur dæmonibus ratione suæ culpæ est infernus, quo detrudentur omnes post diem judicii. Nunc autem propter exercitium hominum aliqui sunt in hoc mundo, et aere caliginoso, alii in inferno ad torquendum damnatos.

DISPUTATIO XXIV.

DE TERMINO VIÆ ANGELORUM, ET DAMNATIONE DÆMONUM.

ARTICULUS I.

Quot instantibus via Angelorum fuerit terminata?

I. Sicut a nobis sæpe dictum est, instantia angelica non nostri temporis instantibus regulantur, aut

eis solum correspondent, sed regulantur operationibus ipsis angelicis, quæ indivisibiles sunt; et ideo instantia vocantur, quia licet earum duratio multo tempori nostro æquivalere possit, tamen in se actus ille successione, et partibus caret, ideoque duratio est indivisibilis, seu instantanea: hoc enim est proprium angelicæ operationis propter perfectionem suam, quod non per partes, neque per successionem actus ejus continuantur, aut variantur, sed simul, et indivisibiliter actu suo

attingit quidquid ad objectum talis actus pertinet, vel cum eo connexionem habet, quia non discursu procedit, sed comprehensione. Unde quilibet actus cum in se successione careat, et indivisibilitate gaudeat, ejus duratio successiva non est, sed instantanea.

Est tamen advertendum, quod operationes angelicæ non constituunt diversa instantia, et durationes propter accidentalem, et extrinsecam variationem, sed propter intrinsecam, et substantialem. Tunc autem intrinsece, et substantialiter variatur actus, quando essentialiter objectum, et formale variatur, ita quod non sit compossibilis attingentia unius, et alterius objecti in eodem actu. Nam si plura objecta sub eadem ratione formali, et motivo continentur, ad eandem attingentiam pertinent, et per se, et quantum est ex vi actus petit Angelus eodem actu ea attingere, licet per accidens, et ex defectu objecti possint aliquando de novo aliqua attingi eodem actu perseverante, vel sub diverso modo accidentali, v. g. sub diversa intensione vel extensione, ut si in aliquo actu amoris perseverans Angelus, intensius effervescat, aut si considerante ipso aliquam speciem, seu naturam, v. g. hominem, et ejus individua, nascatur de novo aliquod individuum quod modo de novo videt, non est necesse propter illam novam extensionem mutare actum, quia est extrinseca, et accidentalis mutatio. Quare ad distinguendum ista instantia quibus terminata est Angelorum via, oportet discernere tria.

Primum quod attinet ad principium viæ, quod fuit in initio creationis, quantum duravit illud initium, in quo omnes in veritate steterunt.

Secundum, quoad progressum viæ, quoniam actus in ea interven-

runt, et an uno actu consummata sit, et quomodo in illo a primo instanti creationis se discriminauerunt aliqui, alii vero continuaverunt.

Tertium, quantum ad terminum viæ, an in eodem instanti fuerit simul meritum et gloria, peccatum et pœna, via et terminus, eo quod videntur ista considerari ut connexionem habentia inter se, et ad eundem finem, et motivum pertinentia.

PRIMUM INITIUM VIÆ SEU PRIMUM INSTANS SOLUM DURAVIT PER DURATIONEM CORRESPONDENTEM NOSTRO INSTANTI.

II. Non est in hac parte concursus theologorum sententia, sed multi tenent durasse malos Angelos in gratia per aliquale tempus, seu morulam ultra primum instans suæ creationis, licet diverso fundamento ducantur. Vasquez enim in præsentis disputatione ccxxxix, c. x existimat generaliter nullam operationem Angeli posse correspondere unico instanti solum nostri temporis, imo nihil posse durare unico instanti nisi ipsum instans aut mutatum esse, quia hæc desinunt per ultimum sui esse, hoc ipso quod immediate post instans sequitur aliqua pars temporis, vel motus. Quæ autem desinunt per primum non esse, si tantum unico instanti durarent, hoc ipso darentur duo instantia immediata, quod in nostro tempore est impossibile: ergo neque quod instans Angeli, seu operatio correspondeat solum unico instanti nostri temporis, et desinat, incipiatque immediate post alia operatio, quæ utique in instanti incipit, cum sit indivisibilis. At vero Suarez lib. vii de Angelis, c. xxi; Nazarius hic qu. LXIII, art. vi, controversia unica, et alii moventur ex eo quod incredibile

videtur solum unico instanti indivisibili etiam quoad nos tam multagessisse Angelos, qui etiam ante lapsum in deliciis paradisi Dei fuerunt, et perfecti dicuntur ambulasse Ezech. xxviii, nec videtur ita conaturale libero arbitrio, et directioni quæ fit per intellectum ita operari ut unico indivisibili instanti dureret in operatione sua: neque id etiam coherere videtur cum motione illa divina quæ ita movit in primo instanti, ut duraverit etiam post primum illud instans creationis in bonis Angelis, qui continuaverunt meritum: ergo etiam in aliis duravit post illud primum instans, si quidem in ea motione operabatur Deus, ut proprius, et specialis auctor angelicæ naturæ; et sic erat communis omnibus illa motio, et ultra hoc deserviebat ad constituendum Angelum in actu primo ut procederet ad electionem omnino liberam, et plene sui juris: ergo cum Angelus peccans post primum instans elegerit ex plena libertate, utique tunc adhuc durabat illa motio Dei erga finem per quam constituebatur in ratione actus primi ad plene eligendum.

III. Nihilominus juxta principia S. Thomæ probabilius judicamus hoc initium quod pertinuit generaliter ad omnes Angelos, et in quo omnes fuerunt in gratia non durasse, nisi unico indivisibili instanti ipsius creationis, quod unico instanti nostri temporis correspondet. Et ita tenent Carmelitani Salmanticenses tract. de Angelis, disp. xii, dub. i. Principia autem S. Thomæ quæ id suadent sunt, quia doctor sanctus sentit Angelum in primo instanti suæ creationis habuisse actum liberi arbitrii, et fuisse creatum in gratia, ut constat ex quæstione LXII, art. iii et qu. LXIII, art. v ad iii. Sentit secundo, quod Angeli statim atque habent electionem circa ali-

quid, sunt inflexibiles, et in illo firmantur, ut patet in hac quæstione LXIII, art. vi ad iii et qu. LXIV, art. ii. Sentit tertio, quod in Angelis incipit electio immediate post instans creationis, ut deducitur ex his quæ tradit dicta quæstione LXIII, art. vi; nec enim post primum instans creationis, in quo movebantur ab auctore naturæ, aliquid eis deerat, ut possent seipsos deliberare movere ex præcedenti voluntate, et actu qui utique in instanti ipso creationis in Angelis fuit: ergo jam habebant sufficiens principium ut immediate post ex illo priori actu se moverent sibi que formarent dictamen. Sentit quarto, quod post primum instans suæ creationis statim peccavit Angelus, ut expresse dicit in articulo sexto citato, quæstione LXIII. Nominem autem instantis creationis non potest intelligi operatio Angeli correspondens, et æquivalens pluribus partibus temporis, quia creatio non est operatio Angeli, sed Dei, et solum Angelus se habet ut terminus talis operationis, creatio autem fit in instanti nostri temporis: ergo si immediate post instans creationis Angelus peccavit, meritum ejus solum duravit pro instanti nostri temporis, quod est instans creationis.

Confirmatur, quia immediate post instans creationis est conservatio creaturæ, et non creatio, nec potest dici quod creatur, nisi pro instanti nostri temporis, quo fit de novo in esse: nam immediate post jam non fit de novo, sed continuatur quod ante erat; ergo immediate post instans nostri temporis, non est creationis instans, sed conservationis duratio: ergo si apud D. Thomam, statim post instans creationis peccaverunt, statim post instans correspondens instanti nostri temporis peccaverunt.

IV. Ratio autem, et fundamen-

tum conclusionis ex eo deducitur, quia licet Angelus in primo indivisibili instanti suæ creationis non possit se movere per deliberationem ex aliquo priori actu præcedente, quia tunc est primus actus, tamen immediate post tale instans potest se movere deliberate, quia jam præcessit actus, et cognitio immediate ante cum plena advertentia, quia cognitio ejus perfecta est, et cum expedita libertate, quia etiam in actu primi instantis liber fuit, utpote cum meruerit in sententia D. Thomæ supra jam explicata; ergo nihil prohibet Angelum immediate post totali, et plena electione se movere, et deliberare. Similiter immediate post instans creationis potest peccare, discontinuando priorem actum bonum, vel potest continuare meritum si voluerit: nam immediate post primum instans creationis potest formare dictamen pravum, et defectibile, et seipsum movere, aut ab alio incitari ad malum, aut continuare ex propria voluntate dictamen primum, eo quod immediate post instans creationis potest voluntas intellectum movere, ut desistat a priori dictamine, et aliud formet, quod non poterat in primo instanti, quia tunc primo movebatur voluntas a prima propositione intellectus, non ipsa intellectum movere poterat ut suo modo cogitaret. Hac enim ratione dicitur Deus in illo primo instanti specialiter movere, et rectificare dictamen Angeli, quia ita est dictamen illud a Deo pro illo instanti, quod non potest ex imperio voluntatis mutari, et obliquari, ut disputatione præcedenti ponderatum est. Post primum autem instans creationis quod correspondet instanti nostri temporis hoc non currit, quia immediate post illud instans jam est integrum voluntati mutare dictamen intellectus, et applicare illum quocumque

voluerit, quia habet libertatem expeditam ad hoc, utpote jam potentem se movere ex actu præcedenti, in quo solum a Deo mota fuit. Ergo ab illa duratione immediate post primum instans creationis potuit peccare Angelus, et in solo primo instanti creationis non potuit.

V. Rursus ex hac propositione deducitur alia consequentia. In illo instanti inceptit Angelus habere firmam, et plenam adhæsiorem, seu deliberationem irrevocabilem, et inflexibilem suæ voluntatis in quo potuit peccare, quia plena deliberatio, et electio Angeli non ex eo fuit post primum instans, quia tunc perfectius cognoverit aut comprehenderit quam in primo instanti, cum Angelus statim ab initio suam perfectionem habeat, non paulatim acquirat, sed ideo fuit, quia post primum instans ex imperio, et motione voluntatis dirigebatur, et se movebat, cum in primo instanti solum ex motione intellectus, et Dei fuerit directa voluntas; hoc autem ipso quod voluntas se movet, et dirigit, postulat ita firmiter procedere circa suam resolutionem, sicut postea, quia perfectio quæ convenit Angelo, sive in intellectu, sive in voluntate statim ab initio nata est convenire hoc ipso quod capax est illius, non paulatim crescit: ergo si immediate post primum instans voluntas Angeli ita est sui juris quod potest peccare, et potest ex sua deliberatione procedere, cum ex plena comprehensione, et cognitione, et non ex discursu procedat, etiam in voluntate ex plena deliberatione, et electione procedit. Ergo si tunc continuaret actum charitatis, et meritum firmaretur in illo, et non peccaret; et sic non minus perveniret ad terminum in actu meritorio, quam alii Angeli boni. Peccaverunt ergo mali Angeli quam primum peccare potuerunt, id est,

cum primum ex proprio motu deliberare inceperunt, nec permiserunt se firmari in bono: firmarentur autem si immediate post illud primum instans non interposuissent impedimentum peccati. Quæ est ratio D. Thomæ, q. LXIII, a. VI ad III.

VI. Adstipulantur etiam huic veritati locutiones Scripturæ: nam I Joan. III, dicitur quod: *Ab initio diabolus peccat*, ubi ly ab initio non potest esse ab initio intrinseco primi instantis: ergo extrinseco; et sic immediate post initium, seu ab initio extrinseco peccavit: nam de ipso primo initio, et instanti creationis, constat de fide Angelum creatum fuisse sine peccato. Item Isaia xiv, ubi casus Luciferi describitur: *Quomodo, inquit, cecidisti de celo Lucifer, qui mane oriebaris*. Quasi in ipso adhuc exortu, seu immediate post, et dum adhuc oriebatur extrinsece cecidisse dicatur, quia non in instanti intrinseco sui ortus, sed in extrinseco seu immediate post cecidit. Item si Angelus qui cecidit ultra primum instans duraret in gratia, aliquantulum permaneret, et staret in veritate, quia non solum in suæ creationis instanti, sed etiam in conservatione, et continuatione sui esse, quod jam pertinet ad permanere, et ad stare in eo in quo fuit creatus. At Scriptura absolute dicit ita peccasse Angelum ab initio, quod non stetit in veritate Joan. VIII: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*. Non quod ab initio occiderit, seu peccare fecerit homines, sed alios Angelos, juxta illud Isaia. XIV: *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti*, et hoc statim ab initio fecit diabolus, non intrinsece ab initio primi instantis suæ creationis, sed extrinsece, id est, immediate post. Et Augustinus XI de civitate, cap. xv,

dicit: « Hoc ita accipiendum esse, quod in veritate quidem fuerit, sed non permanserit: » et S. Isidorus lib. de summo bono, cap. XXII, sentent. XVII, inquit quod: « Diabolus mox ut factus est, in superbiam erupit, et statim ut factus est, cecidit. » Ac denique ipse D. Thomas in quæstione LXIII, art. VI, aperte dicit quod: « Probabilior et sanctorum dictis magis consonans opinio est, quod statim post primum instans suæ creationis diabolus peccaverit. »

Ad fundamenta opposita, respondetur.

VII. Ad primum ex p. Vasquez dicimus nullum esse inconveniens quod aliquid duret eo modo quo ipsum instans, et desinat immediate post, præsertim spirituales actus liberi, qui non sunt subjecti motui, et tempori corporeo; et ideo potest Angelus immediate post instans interrumpere actum suum, et nos possumus immediate post elicited actum liberum, illum suspendere, et cessare ab illo, quia si libere elicimus actum in aliquo instanti, et ille non posset desinere immediate post: ergo immediate post necessario duraret, et sic liber non esset; atque adeo omnis actus liber, qui incipit in instanti, immediate post redderetur necessarius, quia necessario existeret. Unde ulterius fit quod ille qui in hoc instanti habet actum charitatis non posset immediate post peccare, aut damnari, nec peccans posset immediate post salvari, et justificari, quia necessario durant illi actus, quod tamen est absurdum cum immediate post existant per influxum liberum voluntatis: ergo non per necessarium: si autem non possent desinere per ultimum sui esse, sicut instans, sed per primum non esse, oportet quod immediate post non possint desinere, quod autem non

potest desinere necessario existit : ergo immediate post necessario existent illi actus : ergo non libere.

VIII. Et cum instat Vasquez, quia non possunt esse duo instantia nostri temporis immediata : ergo neque potest aliquid durare solum per unum instans, et immediate post incipere alia operatio instantanea, et indivisibilis, quæ etiam in instanti incipit, respondeo quod quando aliquid desinit per ultimum esse, et ad modum instantis, vel Deo suspendente concursum, vel voluntate non influente, talis desitio non correspondet instanti nostro, sed temporis, licet possit fieri in instanti angelico, vel alia indivisibili mensura superiori ad nostrum tempus, et æquivalenti illi, de quo dicimus in physica q. II, art. I. Itaque si actus liber desinit per ultimum esse, hoc erit, quia immediate post, id est, in parte temporis succedente, voluntas desinit influere in illum actum, ut si suspendat se ab actu, (quod fortasse moraliter non est ita possibile, licet metaphysice possibile sit) licet non immediate post actum alium eliciat, quia non elicitur in tempore, sed in instanti nostro pro hac vita; et instans non potest esse immediatum instanti antecedenti; et sic desinet actus immediate post, sicut si Deus immediate post instans suspendat influxum suum, desinet res creata post primum instans immediate. At vero Angelus quia operatur supra omne tempus, et non sicut nos pro hac vita, potest immediate post operationem suam, quæ correspondit instanti nostro, inchoare aliam operationem suam, quæ etiam instantanea sit, et indivisibilis respectu sui, æquivalet tamen temporis nostro, et tunc duo instantia angelica erunt immediata, quod non est inconveniens, ut supra disputatione

XX, ostensum est, sed non duo instantia temporis nostri, quæ nunquam immediate sequuntur : tunc enim secundum instans angelicum correspondet temporis nostro.

IX. Sed instat Vasquez ad probandum debere actum illum, et rem omnem desinere per primum non esse, quia non esse rei est totum simul, et absque ulla successione, sed quidquid incipit totum simul, incipit in instanti : ergo si illa desitio incipit, tota simul incipit in instanti : ergo per primum non esse, non per ultimum esse.

Confirmatur, quia nulla res potest in eodem instanti temporis esse, et non esse : ergo nec in eodem instanti habere primum esse, et ultimum esse, si quidem ultimum esse est desinere esse, vel destrui : ergo est non esse.

Respondetur quod non esse rei est totum simul, distinguo ; intrinsece vel extrinsece, concedo ; intrinsece solum, nego. Quando enim instans desinit per ultimum esse, ejus desitio est tota simul intrinsece, quia hoc esse quod habet in hoc instanti est ultimum, ita quod immediate post non est. Et quia desitio ejus est immediate post hoc instans, ultimum autem esse ejus est in hoc instanti ; ideo instans ultimationis (ut ita loquar) quod est extrinsecum desitioni ejus, dicitur esse totum simul quoad desitionem extrinsecam, seu quoad ultimationem essendi, quia immediate post, nihil de illo est. Quando autem aliquid desinit per primum non esse, intrinsece desinit in illo ; et tunc desitio ejus est tota simul intrinsece, non extrinsece.

Ad confirmationem respondetur, quod simul esse, et non esse in eodem instanti, nulla res potest, bene tamen in eodem instanti, esse, et ultimo esse, quia ultimum esse non est non esse, sed

esse in ultimo, ita quod immediate post desinat. Et cum dicitur quod ultimum esse est desinere, dico quod est desinere non intrinsece, quasi in eo instanti de facto non sit, sed quia immediate post non erit, et ita desinit extrinsece in illo instanti, quia non in illo, sed post illud immediate desinit. Illud autem immediate post in nobis est tempus : in Angelis autem illud immediate post, erit aliud instans, seu operatio angelica, quæ æquivalet temporis nostro, eique correspondet.

X. Ad fundamenta Suarez, et Nazarii.

Ad primum dicimus quod omnes illæ actiones, quæ in illo loco Ezechielis attribuuntur primo Angelo ante lapsum, non sunt multæ operationes, neque instantia, sed multa objecta inadæquata unius instantis, et operationis, quæ nostro modo concipiendi per diversos illos actus explicantur, licet in Angelo diversi actus non fuerint, nec diversa instantia, sed plura objecta materialia, et inadæquata sub eodem instanti, et eadem operatione comprehensa. Unde S. Thomas in quæstione LXIII, art. VI ad 1, inquit respondens ad illummet locum Ezechielis, quod : « Per motus corporales, qui per tempus mensurantur quandoque in Scriptura intelliguntur metaphoricè motus spirituales instantanei. » Et sic per ambulationem intelligitur motus liberi arbitrii tendentis in bonum. Quare omnia illa objecta quibus Angelus tendebat in Deum, quando creatus est, et nos per plures actus debemus attingere, et ambulare in eis, Angelus unica operatione, et unico instanti comprehendit. Quod vero illud instans angelicum, seu operatio, qua omnia illa objecta comprehendit prorogare voluerit post primum instans creationis quod instanti nostri temporis correspon-

debat, hoc plane dependebat ab ejus libertate, non a majori comprehensione, vel attingentia objectorum, quæ antea non attingeret. Unde in hoc aliqui voluerunt prorogare illum actum merendo, alii discontinuare peccando. Et certum est, immediate post primum instans creationis potuisse peccare, quod non poterant in primo. Quid ergo prohibuit peccasse tunc primum Angelum, cui tanta superbiendi materia tunc apponebatur cum facultate se movendi per proprium dictamen, et propriam deliberationem ad illam ?

XI. Ad id quod objicitur de connaturalitate liberi arbitrii, quod non est ei connaturale durare solo indivisibili instanti in operatione sua, respondetur id non esse ita connaturale nobis, qui dependenter a tempore formamus nostros actus, et intelligimus paulatim ea quæ agenda sunt ; et ita non facile utimur solis instantaneis operationibus, nisi postquam sufficienter objectum est cognitum, et propositum : tunc enim voluntas sine difficultate movetur, et quando expedita est, in instanti operatur : in eliciendo enim actum circa objectum propositum nullam moram habet voluntas, minusque impediti sentiit quam oculus in videndo, vel lux in illuminando, qui sunt actus instantanei. In Angelis ergo in quibus plena comprehensio objectorum est, statim ab initio, non est contra naturalem modum ejus in instanti operari, et tantum per instans durare in actu suo, quia id pertinet ad libertatem ejus, sive continuare velit, sive non : tam promptus est enim ad formandum dictamen de prorogando actu, quam de eliciendo, vel discontinuando, et ita nec ex defectu dictaminis, et actus intellectus, nec ex difficultate potentiæ volentis impeditur sive